



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dvb. III. Vtrùm Romanus Pontifex sit succeßor S. Petri in primatu
Ecclesiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

quam vicario post ipsum Christum fundamen-
to, iuxta dicta supra, firmata niteretur soliditas
& perpetuitas Ecclesie: ergo cum hæc sit futura
perpetua usque ad diem iudicii, is etiam quo
nunc debet esse perpetuus, vel per se, vel per
suos successores; & consequenter cum Petrus
sit mortuus, debuit habere successorem in idem
officium.

Dices, Petrum manere fundamentum Ec-
clesie, quia instruxit eam sua fide, & per suas epi-
stolas eam perpetuo pergit instruere.

Respondetur hoc non sufficere, sed necessariū
esse ut aliquis constitutur qui præsens perpe-
tuo eam instruat, ac infallibiliter & perspicue in
omnibus in quibus possit occurrere dubitatio
dirigat; aliis Evangelistæ, & B. Paulus debui-
sent potius dici fundamentum Ecclesie, quam
S. Petrus, quia illi longè plura de mysteriis no-
stræ fidei scripserunt; cum tamē contrā S. Petrus
singulari modo præ ceteris dicatur fundamen-
tum Ecclesie, ut supra ostendi. hinc D. Leo serm.
2. de assumptione sua ait: *Manet dispositio veritatis
& in accepta fortitudine Petrus perseverat, nec susce-
pta Ecclesie gubernacula relinquit.* per suos succe-
ssores scilicet eam gubernando.

Confirmatur, quia, ut supra ostendi, Christus
qui est primum fundamentum & caput Ec-
clesie, quia eam perpetuo per se humano modo
& visibiliter præsens non erat rector, debuit
habere vicarium successorem: ergo etiam Pe-
trus, nec enim vlla vel probabilis ratio fingi po-
test, cur Christus potius debuerit habere suc-
cessorem quam S. Petrus.

Probatur Secundò, quia si dubium esset an
testimonia supra allata significarent Petro, eius-
que successoribus perpetuū primatus officium
esse commissum; essent tamen intelligenda sicut
Apostolorum successores ea intellexerunt, qui
Scripturas & germanum eorum sensum ab Apo-
stolis acceperunt, ut ostendi supra nu. 8. & 9. at-
qui intellexerunt Matt. 16. Petro fuisse pro-
missum, & Iohan. 21. traditum primum Eccle-
sie in successores derivandum: ergo ea loca sic
intelligenda sunt. Minor patet ex testimoniis
totius antiquitatis, quæ fuscè citant Pighius &
Sanderus supra, & Bellarm. l. 2. de Pontifice c.
13. 14. 15. 16. ubi clarissimè docet, totam antiqui-
tatem hoc sensisse.

D V B I V M III.

*Virum Romanus Pontifex sit successor S. Pe-
tri in primatu Ecclesie?*

Omnes omnino hæretici hoc negant: quia
aliàs seipso suamq; doctrinam necessariò
damnant. Nec enim manifestè rei possunt a-
liter esse salui quam fugiendo iudicem.

CONCLUSIO. De fide, quam omnes hæc-
tenus fideles à Christi tempore professi sunt, est
Romanum Pontificem esse verum S. Petri suc-
cessorem in primatu Ecclesie. Probatur Primò,
ex epistolis decretalibus Anacleti, Euaristi, A-
lexandri I. Sixti I. Aniceti, Eleutherij, Victoris,
Sixti II. Stephani, Marcelli, Melchiadis, qui
omnes hanc fidem suo & testimonio & lan-
guine fuso firmanunt, & veri fidei Martyres
seu testes à Christo sunt acceptati. Eorum

Coninck de act. supernat.

verba refert Pighius supra libr. 6 cap. 6.

Respondet hæretici, eorum epistolas esse vi-
tias. Sed contrā Primò, etsi aliquorum episto-
læ habeant aliqua quæ non ita videntur certa &
probata, tamen multorum epistolæ sunt planè
certæ & indubitæ, nec vel leue continent li-
gnum, ex quo merito colligas fallatas esse. Secū-
dò, etiam illæ epistolæ, de quibus dubitatur an
verè sint istorum Pontificum & omnino incor-
ruptæ, tamen valde antiquæ sunt, & prioribus
etiam sæculis in Ecclesia receptæ à multis, nec
vniquam ab antiquioribus tamquam aliquid fi-
dei repugnans continentibus sunt oppugnata; at-
que ita saltem hoc probant, nostram sententiā
olim prioribus sæculis in Ecclesia communiter
fuisse credidam. Vnde vltius infero, euidenter
eas in eo puncto tam graui nihil falsi continere.
Aliàs enim certo certius aliquis SS. Patrum, qui
illis temporibus & plurimi & doctissimi ac ac-
tissimi vivebant, & vigilantissimi excubabāt, ut
omne falsam doctrinam statim in suo ortu op-
pugnarent, & quantum possent opprimerēt, et-
iam eas epistolas oppugnasset, aut saltem eum
errorem in ijs notasset. Quod cum constet ne-
minem fecisse, clarissimum est sanctos Patres
ab ijs in hoc puncto non discessisse.

Probatur Secundò, ex auctoritate plurimorū
Conciliorum generalium, quæ Romanum Pon-
tificem agnouerunt caput totius Ecclesie. quæ
fuscè citat Bellarm. l. 2. de Roman. Pontif. c. 13.

Probatur Tertiò, ex consensu omnium san-
ctorum Patrum tam Græcorum quam Latinorū,
quos fuscè citant Bellarm. & Pighius supra citati,
& Sanderus l. 2. Monarchiæ vrbilis. Adferā hic
tantum testimonia quos hæretici aliquā-
do contra nos citant. S. Cyprianus l. 1. epist. 3. ait
Ecclesiam Romanam esse Petri cathedram &
Ecclesiam triumphantem, vnde vnitas sacerdo-
talis exorta sit, nec alion de hæc hæreses, quam
quia non cogitatur vnus in Ecclesia sacerdos &
vnus iudex vice Christi. & l. 4. epist. 8. Ecclesiam
Romanam vocat radicem & matrem Ecclesie
Catholicæ. Idemq; pluribus docet l. 1. epist. 8. &
l. de Vnitate Ecclesie. Item S. Hieron. epist. 57.
ad Damasum: *A pastore, inquit, præfidiū omis petri,
cū successore piscatoris, & discipulo crucis loquor: ego
nullum primum nisi Christum sequens, beatitudinis tue,
id est cathedra Petri, communione confocior. Super il-
lam petram adificatam Ecclesiam scio. Quicumq; ex-
tra hanc domum agnum comederit, profanus est: si
quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluui-
o.* Item D. Bernard. l. 2. de Consideratione ad Eu-
geniū ait: *Quis es sacerdos magnus, Summus Pontifex;
tu princeps Apostolorum, tu heres Apostolorū. & infra:
Tu es cui clauis tradita, cui omnes credite sunt; sunt &
aliq; celi ianitores, gregumq; pastores, sed tu tanto glo-
riosius, quanto differētius vtrumq; nomen hereditasti.
habent hi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi v-
niuersi crediti sunt, vni vnus; nec modo cunctum, sed &
pastorum tu vnus omnium es pastor.*

Obijces Primò, D. Gregoriū, qui l. 4. epist. 32.
reculat dici vniuersalis Episcopus, & vocat hoc
nomen profanum: ergo sentit Romanum Pon-
tificem non esse Episcopum totius Ecclesie.

Respondetur, dupliciter aliquem posse dici E-
piscopum vniuersalem. Primò, ita ut ceteri non

T sint

Pighius.

19

20

Bellar-
Pighius.
Sanderus.
Cyprian.

Hieron.

Bernard.

21
Gregorius

S. Leo.

17
Dubi Scri-
ptura loca
intelligi de-
bent prout
Apostolorū
successores
ea intellexe-
runt.

cle-
lica
o
fuit
ita.

18
Cathetici
negant pri-
matum Pon-
tificis.

s
Fg.
pet-
col-

Dupliciter
potest quis
dici Episco-
pus vniuer-
salis.

sint veri Episcopi, sed tantum eius vicarij, & hoc modo acceptum illud nomen D. Gregor. vocat profanum, vt patet ex eius l. 7. epist. 69. ad Eusebium, vbi ait: Si vnus vniuersalis est, restat vt vos Episcopi non sitis. & l. 7. epist. 36. ait: Si vnus Patriarcha vniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur. Secundò, potest accipi ita, vt aliquis, quia omnes fideles ipsius curæ commissi sunt, ita dicatur vniuersalis Episcopus, vt tamen alij sint etiam veri Episcopi, & Ecclesiarum principes. Et hoc nomen rectè ita tribui Romano Pontifici numquam contra tot auctoritates negauit Gregorius: noluit tamen eo seipsum inscribere, vt suo exemplo Iohannem Episcopum Constantinopolitanum hoc superbe sibi assummentem ad saniores mentem reuocaret. Vnde etiam quamvis sciret illud nomen in hac seculi significatione posse commodè accipi, & ita hæcenus fuisse in Ecclesia acceptum, & Romano Pontifici tributum; hæc tamen hoc dissimulat, illique solam priorem significationem tribuit, vt ita nomen hoc odiosum reddat, & ipsū Iohannem ne eo vtatur auertat. Nihilominus D. Gregorius re ipsa diuersas per orbem Ecclesias ac Episcopos dirigendo, ac corrigendo earum errata, satis ostendit sibi omnium Ecclesiarum curam commissam esse. Vide Baronium circa tempora D. Gregorij, & Sanderum l. 7. anno 559. in Pontifice Gregorio.

S. Gregorius
Episcopi v-
niuersalis
nomine ab-
stinet, iurif-
dictione tri-
buit.

Baronius.
Sanderus.

22
Carthag. 3.
Sanderus.

Obijciunt hæretici Secundò, in tertia Synodo Carthaginensi cautum esse ne Romanus Pontifex dicatur vniuersalis. sed bene respondet Sæderus l. 1. anno 555. eos hoc malitiosè fingere: nec enim illa verba sunt Concilij, sed Gratiani. Concilium enim ibi agit de solis Episcopis Africanis, & prohibet ne quisquam illorum se vocet vniuersalem Episcopum: de Romano autem Pontifice ibi nihil agit, nec ad ipsum spectabat de eo agere. Verba autem quæ illi citant, post canonē Concilij Gratiano apposita sunt, non tamquam pertinentia ad illud Concilium, sed tamquam titulus sequentis canonis.

23

Probatur etiam conclusio ratione. Quia, vt supra ostendi, primatus Petro traditus debebat perpetuò in Ecclesia perseverare, vt esset vnus pastor, & vnus ouile; vt sicut ones debebant visibiliter & humano more regi, ita vnus esset visibilis omnium pastor, qui eas humano more regeret. Cum igitur Petrus nō posset perpetuò Ecclesiam visibiliter regere, necessarium erat illud officium siue Ecclesiæ primatum derivari in successores. Hoc autem semel posito, clarum est hoc Rom. Pontifici tribuendum esse, quia nullus est alius, cui vel probabiliter possit hoc conuenire. Qui plura hac de re vult, inspicat Auctores citatos. Queretur fortè aliquis me rem tam amplam tantiq; momenti ita breuiter & quasi cursim perstringere. Cui respondeo, me non statuissè hanc ex professo discutere, sed solùm iis qui meum librum legent aliqua suggerere, ex quibus huius difficultatis statum possent perspicere, ac fidem Catholicam contra communes aduersariorum obiectiones tueri; ac simul iis qui luculentiorum eiusdem tractationem desiderant, indicare Auctores in quibus eam possint videre.

D V B I V M I V.

Utrum in vera Ecclesia sit aliqua regula, ex qua infallibiliter possimus res fidei cognoscere?

CONCLUSIO. In Ecclesia est à Deo relictus aliquis iudex siue regula infallibilis omnium controuersiarum fidei. Est communis Catholicorum.

Probatur Primò, ex Scripturis; Iohan. 14. vbi Iohan. 14. Christus ait: Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum. Spiritum veritatis. vbi à Christo promittitur Primò, aliquod donū quod perpetuò in Ecclesia erat mansurum, illis verbis: Vt maneat vobiscum in æternum. Secundò, promittitur tale donum, ex quo omnis veritas ad religionem & verum Dei cultum pertinens, possit cognosci. quod aperte significatur illis verbis, Spiritum veritatis: qui scilicet, prout promittitur c. 16. Docebit vos omnem veritatem. Cum autem Christus multis locis hunc Spiritum promittat, vbique vocat eum Spiritū veritatis; vt ostendat ipsum infallibiliter dociturū suam Ecclesiam omnem veritatem. Vnde aperte inferitur necessariò faciendum esse in Ecclesia à Deo constitutam esse aliquam regulam siue rationē, ex qua infallibiliter omnis veritas possit cognosci. Si enim in ea nulla sit talis regula, facillimè fieri poterit vt in multis ad salutem necessariis erret, atque ita contra promissionem Christi non habeat Spiritum veritatis, qui eam omnem veritatem scitu necessariam doceat.

Probatur deinde ratione. Primò, quia, cum Deus à nobis exigit vt indubitanter res fidei credamus, debet nobis dare modum quo infallibiliter eas cognoscamus; alias enim esset nobis impossibile eas certò & indubitanter omnino credere (patet enim me nil posse omnino certò & indubitanter credere, quamdiu non habeo vllam certam regulā ex qua possum cognoscere illud esse credendum.) Atque ita Deus impossibilia nobis præcipiet. quod absurdissimum est.

Secundò, quia, vt patet Matth. 16. vbi docet, portas inferi numquam praualturas cōtra Ecclesiam, & c. vlt. vbi mittens Apostolos ad prædicandam fidem, & Ecclesiam congregandam, ait, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi; Christus promittit suam Ecclesiam in eadem fide vsque ad consummationem sæculi, perpetuò, integrè, & sine errore perseveraturam (si enim in fide semel erraret, à Christo ad perfidiā deficeret, & ita portæ inferi contra eam praualerent, nec Christus cum ea permaneret): at qui illud fieri non poterat, nisi constitueret ei certā regulam, ex qua & quæ essent fidei, & quæ ei aduersarentur, sine periculo erroris posset cognoscere: ergo dedit ei talem regulam.

Confirm. ex 1. ad Timoth. c. 3. vbi Ecclesia dicitur columna & firmamentum veritatis: quod nō potest aliter dici, quàm quia certa aliqua regula ita in fidei veritate dirigitur, vt ab ea aberrare nequeat. Vide plura apud Thomam Waldens. l. 2. Doctrinalis fidei c. 29. & Bellarm. l. 3. de Ecclesia c. 11. 12. 13. 14. & l. 3. de Verbi Dei inter-

24

Ecclesia si
extrare possit
non habet
Spiritum ve-
ritatis: sibi à
Christo pro-
missum.

25
Deus exigit
à nobis fidē
tenetur no-
bis certam
eius cognos-
cendā res-
tuere regu-
lam.

26
Matth. 16.

1. Tim. 3.

Thom.
Valdens.
Bellarm.